Wośniowski Alb. Caroli: Quaestio physica de materia prima.

QVÆSTIO PHYSICA, DE Materia Prima.

A

M. ALBERTO CAROLO WOSNIOWSKI,

Ad diſputandum

PROPOSITA.

Anno reparatæ Salutis, 1649.

Menſe Decembri, Die 11. Horâ, 15.

In Magna Diui Iagellonis Aula Lectorio DD. Theologorum.

Permiſſu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ.

In Officina Franciſci Cæſarij, S.R.M. Typ. Anno 1649.

In arma Illustrissimæ & antiquissimæ Gentis TARNOVIÆ.



Sydera quæ primò luxistis in orbe sereno,
Vos eadem terris consociauit amor.
Cum terris cælum fœdus properastis in vnum,
Hinc regnat pietas, inque polo, inque solo.
Quàm meritis felix igitur TARNOVIA virtus,
Cuius ad aspectum sydus vtrumque stupet.



Andreas Abrek,
Stud: Eloquentiæ.

Illustrissimo & Magnifico Domino

D. MICHAELI STANISLAO TARNOWSKI,

Comiti à Tarnow,

CASTELLANO WOYNICENSI,

Domino & Mecœnati amplissimo.



N publico armorum & animorum fremitu tumultuq́, neq́ nos in Palæstra Mineruæ sumus otiosi, Illustr. & Mag. D. Comes. Perstrepunt quotidie vocibus eruditissimis nostro in Lycæo Philosophorum exedræ; & quibus nunquã finis imponi potest in quæstionibus, si pertingunt ad aliquam cognitionis opinationem, tanquã de ignorantia prostrata, læti, & alacres triumphant. Quanquam quis tam felici præditus est ingenio, vt in altissimo Democriti puteo demersam, aliquando integram, illæsamq́ in lucem eruere possit veritatem? Vnicâ propositionis Mathematicæ inuẽta resolutione, Samius ille senex, Hecatomben boũ immolauit. Ipsa de Materia prima velitatio, quæ non fatigauit ingenia? quæ non inuenit ingeniosæ artis effugia?

fugia? quas animorũ non excogitauit circuitiones, quos in æstuosa non delassauit arenâ luctatores? Mirum, quòd de re tantilla (quam nullus sensus percipere, vel attingere, sola mens hominis, vix ac nisi per quędã tenebrarum præcipitia venari potest) tantus labor, tantaq́ contentio, quasi huius sine vmbratili impregnatione, nullus naturæ in orbe vniuerso partus, nulla rerum consistentia possit subsistere. Et tamen sunt, qui neq́ue his tanta contentione paratis & inuentis fidem habẽt; atq́ adeò reperiũtur, qui istud tam varium & lubricum Ens, in vastas etiam cælorum transferant regiones, & cum infimis summa commisceant, maxima minimis, tanquã vastam Iliadem Homeri nuce stringant, & coardent. Proinde ego non peccaui, qui rem tanti momenti Tuo Illustr. Comes conspectui, sistere non dubitarim. Nam vt preclarè noster ait Maro.

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læua sinunt, auditque vocatus Apollo.

Quo quidem in tam arduo ac difficili negotio, à Tua potissimùm Illustrissime Comes luce, lumen auspicari volui. Quid enim Tua Illustrissime ac Magnifice Domine benignissima sydera, nonne tam prouidè cælo lucent amæno, vt inferiores etiam terrarum non desierant propitio fouere lumine regiones. Equidem Tuæ Gentis Clarissimus splendor, vel cum orbe condito in lucis prorupit conspectum, vel cognatâ pietate illectus,

è cælo

è cælo in terras ad meritorum in genus humanum propagationem deſluxit. Maioribus Tuis illis inquam Heroibus fortiſſimis, cælum ſemper in oculis, in pectore hæſit æternitas. Teſtantur tantas virtutes resq́ pro Eccleſia Catholica, & Patria, glorioſiſſimè geſtas, templa religiosè erecta, propugnacula magnificè extructa, arma in omnes perduelles fortiſſimè tranſmiſſa, vel tranſportata, quæ lunas etiam Othomanicas, ſemper terruêrunt vbiq́ terrarum de hæreditaria cæli & Dei poſſeſſione vltrò dimicantia. Pleni ſunt faſti, plena meritorum victorioſiſſimæ Gentis Tuæ Illuſtriſſime Comes antiquitas, pleni Annales vetuſtatis. Sed Tuam inſuper Illuſtriſſ. ac Magniſ. Comes Heroicam virtutem, fortitudinem, pietatem, magnificẽtiam, quæ vnquam obliterabit obliuio? quæ contiteſcet poſteritas? qui in omnes hoſtium impetitiones Propugnator Patriæ vigilantiſſimus, in conſilijs ſaluberrimis, pro bono publico promouendo Senator prudentiſſimus, in animis diſcrepantium Ciuium reconciliandis, Diribitor feliciſſimus, omnium vocibus conſentientibus prædicaris. Enimuerò cætera ſi vellem proſequi Tua Illuſtr. ac Mag. D. merita, decoraq́ vereor ne clariſſimæ luci ſolis, facẽ Diogeneam præferre videar. Et tenuis iſta pagella mea Tuarum amplitudinem virtutum, quî capere poteſt! Dabunt nimirùm & mihi propitij Indigetes commoditatẽ & iſtã

à ſupremo numine facultatem impetrabunt, vt liberiorem aliquando ſortiar ſcribendi campum, in quo grata animi mei propenſio in Tuis laudibus recenſendis liberaliùs ac feliciùs excurrere poſſit. Nunc me Tuum ex aſſe dico, conſecroq́ Clientem, quem Tu ſingulari Illuſtr. ac M. D. beneficio ornatum eſſe voluiſti, & maiorẽ etiã Te cumulaturum in me, bonorum acceſſionem, quæ Tua eſt Illuſtr. D. eximia munificẽtia, luculenter affirmâſti. Seruet Te Illuſtr. & Ampliſſime Mecœnas, Deus Opt: Max: Eccleſiæ, Patriæ, Academiæ, Tuamq́ totam Illuſtriſſimam familiam, & virtutũ Auitarum Paternarumq́ heredem filiũ, longiſſimos in annos perennet.

Vt niſi ſat ſerò cæleſtia regna petatis.

Donec nimirùm mærorem ab Eccleſia, Panicam à Patria trepidationẽ, ab Academia afflictiſſima ſqualorem, cũ optimis & prudentiſſimis Patriæ Ciuibus abraſeritis: Et noſtros in animos fauſtitatem, pacem, tranquillitatem, lætitiam, in illas verò Ruſſicas regiones, abominanda deſolatione, ac perduellium Coſacorum furore fractas, conuulſas, proſtratas, ſecuritatem ac proſperitatẽ inſpiraueritis perbeatam. Ita voueo, ſupplexq́ expoſco & oro. Datum Cracouiæ è Muſæo meo Die II. Menſe Decemb. Anno Domini 1649.

Illuſtr. ac Mag. Dominationis Veſtræ,

Deuotiſſimus Cliens, & humillimus apud Deum Exorator,

Albertus C. Woſniowski, Philoſophiæ Doctor. & Profeſſor.

QVÆSTIO

V. Materia prima pars altera compoſiti Naturalis, & ſubiectum omnis mutationis Phyſicæ, ſit adeò Ens potentiâ, vt omnem omninò excludat, tam Phyſicum quàm Metaphyſicum actũ, nec ne?

CONCLVSIO

Materia prima, eſt pars eſſentialis omnis compoſiti naturalis.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Materiæ primæ competit esse partem rerum naturalium, non tantùm sub concauo lunæ contentarum, sed etiam in tota regione cœlorum.

II.

Diuersæ tamen rationis esse in corporibus cælorum, à materia sublunarium, cum probabiliori sententia tenemus.

III.

Quinimò corpora cælestia inuicem specie differre totaliter, hoc est, cum ratione suæ formæ, tum etiam materiæ asserimus.

IV.

Illorum Sententiæ non subscribimus, qui Substantijs separatis, materiam Spiritualem affingunt.

V.

Ex Materia & forma, cur vnum resultet per se compositum naturale, non esse quærendum; sapientissimè censuit Aristoteles 2. de anima tex: 7.

CON

CONCLVSIO II.

Materia prima est subiectum omnis mutationis Physicæ.

COROLLARIA.

I.

Materia prima ab aliquibus mutationibus immediatè, ab aliquibus mediatè præ requiritur.

II.

Meritò autem vocatur subiectum primum.

III.

Agens naturale, quodcunque absque hoc subiecto primo nihil potest efficere.

IV.

Et est causa cur vnius generatio, alterius sit corruptio, & è contra.

V.

Vnde nec est generabile, nec corruptibile, per se: licet dici potest, quòd corrumpatur per accidens.

CONCLVSIO III.

Materia prima eſt pura potentia etiam Metaphyſica.

COROLLARIA.

I.

Prædicta potentia in primo modo dicendi per ſe de materia prima prædicatur.

II.

Reducitur autem ad genus Subſtantiæ.

III.

Materiæ primæ potentiam conſequuntur, priuatio, & appetitus naturalis ad formas.

IV.

Variè à Philoſophis non ſine cauſa nominatur: Hyle, ſubiectum, materia, origo, Maſſa, elementum, ſylua, mater, fæmina, turpe, chaos.

V.

Materia prima non eſt cognoſcibilis per ſe.

CON-

CONCLVSIO IV.

Materia prima excludit omnem actum Phyſicum, & Metaphyſicum.

COROLLARIA.

I.

Dimenſiones interminatas, in materia prima non admittimus.

II.

Actus ſubſiſtentiæ in materia nullus eſt,

III.

Exiſtentiæ actus etiam partialis incapax eſt materia prima.

IV.

Jmmò nec per Diuinam potentiam exiſtere poteſt ſine formâ.

V.

Cum his tamen determinatis benè ſtat materiam primam eſſe aliquid non nihil.



Sub Felicibus Auſpiciis

Magnifici & Admodum Rn̄di Dn̄i.

D. STANISLAI ROZYCKI,

I. V. Doctoris & Profeſſoris,

Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellarij,

Almæ Academiæ Cracouienſis

R E C T O R I S

VIGILANTISSIMI.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0019220